



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IV. Clerici pro periurio ecclesiis perpetuo debent priuari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Sed quia compositio eorum huic fuit damnosa, de iuramento violato pœnitentiam recipiant, & prælibatam ecclesiam prædicto clerico restituant.

ANNO  
CHRIST.  
1179.

CAP. III. *Idem Santonensi & \* Bilonensi episcopis.*

De rescripto quod nobis est præsentatum, manifeste nobis innotuit, R. quondam \* Treuorensis abbatem cum VV. super summa septem millium solidorum taliter conuenisse, &c. *Et infra*: Super hoc quidem prædictus abbas de monachis obsides quosdam dedit, qui de obseruanda conuentione iuramentum dederunt, vt si ipsi decesserint, alii monachi loco eorum in ostagio reuerterentur. Insuper si dicti monachi fidem non seruarent, abbas dedit eidem VV. I. & eius vxorem fideiussores: qui similiter fidem præstitisse dicuntur. Si ita est, tam abbatem & monachos qui iurauerunt, quam I. & eius vxorem studiose monere curetis; vt sicut iurauerint, eandem coniurationem faciant adimpleri. Si vero commonitionem vestram facere neglexerint, eidem abbati & monachis ingressum ecclesiæ interdicatis, & in terra præfati I. & vxoris eius vsque ad dignam satisfactionem inhibeat diuina officia celebrari.

CAP. IV. *Idem Norwicensi episcopo.*

Tua nos fraternitas duxit consulendos, cui standum sit iuramento, cum clericos quidam religiosi iurifurandi religione constringunt ad maiorem pensionem soluendam, vel præstandum aliquid nomine beneficii, præter solitam pensionem. Cum autem instituuntur ab episcopis, iurant quod antiquam pensionem & solitam non augebunt. Tuæ igitur consultationi breuiter respondemus, quod posterius iuramentum, quod ratione & Laterani Concilii auctoritate iuuatur, primo præiudicat, quod de cupiditate processit. Iustum est autem, vt clerici sic perplexi, pro periurio quod vitare non possunt, ab ecclesiis perpetuo excludantur.

CAP. V.

*Idem Londonensi & VVigornensi episcopis.*

Querelam R. clerici Lincolnensis ecclesiæ accepimus, quod